

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 34. Sandæus captus C[o]nstantinopolin abductus, ac postea liberatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

**Sæcul XVI.** rat, hæ autem paulopost a tredecim  
A.C. 1560. Algerianis triremibus prope Insulam  
Ægilium circumventæ, ad scopulos haud  
procul ab insula corsicana impactæ, ac  
dissractæ sunt, Belliducibus tamen, &  
militibus a classe segregatis, atque ex-  
fensione in terram facta periculum elu-  
ctantibus: captivos quoque remiges,  
qui duntaxat e Mahometanis constabant,  
Turcæ libertati reddebant. Porro San-  
dæus tam infausti successus culpam in  
Petrum Velascum supremum classis Cu-  
ratorem rejiciebat, eoquod illius negli-  
gentia contigisset, ut ea, quæ ad pro-  
fessionem necessaria essent, in tempore  
subministrata non fuerint, proin classis  
discessum plus justo differre coacta fuisset.

#### §. XXXIV.

*Sandæus captus Constantinopolin ab-  
ductus, ac postea liberatus.*

*Thuan. l. 26.* Parta insigni hac victoria Turcæ ab In-  
sula discedentes, die decima sexta  
classem suam ad Gaulos Insulam appli-  
cuerunt, inde vero Constantinopolin  
vela facientes Sandæum secum capti-  
vum abstraxerunt, ubi Solimanus forti-  
huic Viro easdem conditiones nupet  
ipſi a Bassa propositas offerebat: ast cum  
is illas acceptare recusaret, eundem Soli-  
manus unacum Sanctio, Leva, & Be-  
rengerio de Requesanes in vincula conjici-  
jube-

jubebat, frustra pro eis deprecante Phi- Sæcul. XVI.  
 lippo II. (\*) Rege; quippe Turcæ ob A.C. 1560.  
 fœdus nuper initum, quod eorum rebus  
 minus commodum erat, exacerbati ho-  
 rum captivitate ultionem exerere stude-  
 bant: cum vero Augerius Ghislinis  
 alias Busbequius, seu Boesluc dictus  
 apud Ottomanos Ferdinandi Orator per  
 Halim Bassam, & Ebraimum Interpre-  
 tum principem rescivisset, quod tunc,  
 si Ferdinandi nomine Hispanorum libe-  
 ratio peteretur, forte Solimanus ei hanc  
 gratiam non recusaret, hinc Augerius  
 ea de re Cæfarem certiorem faciens,  
 eorumdem opera utebatur, a quibus  
 monitus hanc gratiam a Solimano pe-  
 tierat, nec irrito successu; quippe pro  
 omnibus, pro quibus libertatem exora-  
 bat, etiam eam obtinuit, omnesque die  
 decima Augusti Anno supra millesimum  
 quingentesimo sexagesimo secundo libe-  
 rati sunt, quibuscum induciis postea  
 initis Busbequius Constantinopolim de-  
 latus Sophiam venit, adducto secum  
 Sandæo: Leva autem & Requesenes  
 diversum ab eis iter prosequabantur.

Pp 5

§. XXXV.

(\*) Thuanus, ex quo Continuator hæc  
 descripsit, non Philippi, sed Regis Christia-  
 nissimi mentionem facit; utriusque autem R-  
 egis nomine fœdus fuit initum.